



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Lincolniensi Et Helien. Episcopis, & Abbati S. Edmundi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

tuarienses, qui omnia dimiserunt pro Christo, tot laboribus & doloribus, tot mortibus & periculis personas & res non dubitaverunt frequenter exponere, (quod proculdubio tam illi quam isti, ut dictum est, non fecissent, nisi cognoscerent premissa respicere in grave Cantuarien. Ecclesie detrimentum, ut de aliis omittamus) tu saltem pro vitando tam gravi scandalo proximorum ab hujusmodi etiam tibi prohibitis non cessasti; cum sacre scripturae testimonio debueris didicisse quod licet opera illa quae sine mortali peccato dimitti non possunt, non sint pro vitando scandalo dimitrenda, nec ea debeant pro vitando scandalo committi quae sine mortali peccato committi non possunt, ab his tamen quae committi possunt sine mortali peccato pariter & dimitti, sit pro scandalo tollendo cessandum, & eis etiam pro vitando scandalo insistendum. Vnde Apostolus dicit: *Si scandalizaretur frater, carnem non comederem in aeternum.* Et Dominus in Evangelio contra eos qui scandali praesentant materiam: *Vae, inquit, homini illi per quem scandalum venit. Melius est ei ut suspendatur mola asinaria ad collum ejus, & demergatur in profundum.* Et licet majorum scandalum sit vitandum, praecipue tamen vitandum est scandalum pusillorum, juxta testimonium Veritatis: *Qui scandalizaverit, inquit, unum de pusillis istis minimis qui in me credunt &c.* Finis ergo his quae praemissa sunt a te de cetero taliter imponatur, quod praeterita contradictionis rebellio per virtutem sequentis obedientiae valeat non immerito expiari. Datum Lateran. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

* Apud Gerusalem, XII.

CANTVARIEN. ECCLESIAE
suffraganeis.

Epist. 433.
Ne Archiepiscopo suo obtemperarent, qui Summo Pontifici obedire contemnit.

Cum ex injuncto nobis apostolatus officio &c. *ferè in eundem modum usque ad verbum innovare &c.* Sanè super praemissis &c. *ferè in eundem modum usque ad verbum* non immerito expiari, ut supra. Si verò (quod non credimus) &c. *usque ad verbum* responsurum. Quocirca universitati vestrae de consilio fratrum nostrorum in virtute obedientiae districtè praecipimus quatenus, nisi sapeditus Archiepiscopus infra praemissum tempus mandatum nostrum duxerit ad effectum, vos ei nullam obedientiam

vel reverentiam impendatis: quia justum est ut ei non obediat a subditis, qui suo contemnit obedire Praelato. pro certo scituri quod si praeepto apostolico in hac parte praesumpseritis obviare, nos auctore Deo inobedientiae vestrae curabimus animadversione debita respondere. Quod si fortè nec sic eundem Archiepiscopum poterimus ad bonum obedientiae revocare &c. *usque ad verbum* medicinam. Datum ut supra.

Apud Gerusalem monachum Cantuariensem sic legitur: Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Cantuariensis Ecclesiae suffraganeis salutem & apostolicam benedictionem. Cum ex injuncto nobis apostolatus officio &c. *sicut superius scriptum est usque ad verbum* fraternitatis vestrae literas super facto eisdem Ecclesiae nobis sub sigillis omnium pariter destinatas cum debita benignitate recepimus; super eo non modicum admirantes, quod, sicut eorum nobis serie intimastis, quibusdam vestrum vitum fuit nos fuisse multipliciter circumventos, quando literas nostras eidem Archiepiscopo & vobis ipsis super eodem negotio curavimus destinare. Sanè, sicut literae vestrae continebant, in praemissam opinionem eos qui de nobis talia aestimabant, quatuor induxerant quae sequuntur. Quorum primum, secundum, & ultimum erant indulgentiae pia recordationis Vibani, Gregorij, & Celestini Pontificum Romanorum, quae in nostra & fratrum nostrorum fuerunt praesentia recitatae. Tertium, compositio facta per carissimum in Christo filium nostrum Ricardum illustrem Regem Anglorum & venerabilem quoque fratrem nostrum Vv. Rothomagensis Archiepiscopum & quosdam alios inter Archiepiscopum & monachos memoratos. Quibus & aliis quae a nuntiis praefati Archiepiscopi allegatae fuerunt, qualiter ex parte monachorum ratione praevia fuerit obvium, ut cognoscatis & approbetis plenius veritatem, universitati vestrae praesentibus literis duximus explicandum. In primis liquidem praefati nuntij &c. *ex ordine sicut superius scriptum est in literis Archiepiscopi.* In fine vero istarum additum est ita. Quocirca &c. *ut supra in Registro usque ad verbum* revocare, propter quod malum nunquam committitur, bonum autem debet saepius intermitteri, majorem sibi animadversionem novit imminere; cum ferro sint abscondenda vulnera, quae fomentorum non sentiant medicinam Datum Laterani XII. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

LINCOLNIENSI ET HELIEN.
Episcopis, & Abbati S. Edmundi.

Inter alia quae venerabili fratri nostro Cantuariensi Archiepiscopo super negotio capellae de Lamhee de fratrum consilio, felicitis recordationis Vibani, Clementis, & Celestini praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigis inhærentes, per apostolica scripta mandamus, illud specialiter continetur, quod Ecclesias monachorum cum fructibus medio tempore perceptis, exenniis, & aliis injustè ablatiis, infra triginta dies post receptionem literarum nostrarum, etiamsi absens ab Ecclesia sua fuerit, eis restituere non moretur. Volentes autem ut mandatum apostolicae sedis debitam obtineat firmitatem, nec alicujus negligentia rerardetur, discretioni

Epist. 444.
Vt ablati ab Archiepiscopo Cantuariensi monachis restituantur cisterciensibus perceptis.

vestrae per apostolica scripta districtè præcipimus quatenus nisi dictus Archiepiscopus infra præfixum sibi tempus curaverit quod mandavimus adimplere, vos omni contradictione, dilatione, & appellatione cessantibus Ecclesias ipsas cum perceptis fructibus dictis monachis restituere non tardetis, detentores ipsarum, si vobis in hac parte immo nobis ipsis præsumperint obviare, pœna suspensionis & excommunicationis etiam, si opus fuerit, percipientes, provisuri ut Deum habentes præ oculis, sine personarum acceptione mandatum apostolicum taliter exequamini, quòd devotionem vestram & nos commendare possimus, & Deus debeat acceptare. Quòd si omnes his exequendis nequiveritis interesse, duo vestram ea nihilominus exequantur. Datum Laterani XI. Kal. Decembris.

*RICARDO ILLUSTRIS REGIS
Anglorum.*

*Epist. 434.
Ne Rex istam
restitutionem
monachorum
impediat.*

INter alia quæ nos hortantur celsitudinis regis titulis congaudere, illud tanquam memoriale, quia personam tuam sincera caritate diligimus, multa gratiarum actione prosequimur, quòd jamdudum nos regis apicibus rogavisti ut pro nullo deberemus in his quæ agimus à justitiæ tramite deviare; nec illud fuit in eisdem literis prætermissum, unde circumspeditionem regiam dignis laudibus commendamus, ut si fortè à nobis interdum aliquid postularer quod esset obvium rationi, nolebat aliquatenus exaudiri. Nos ergo, præter officij nostri debitum, ex quo cum, licet indigni, tempus acceperimus justitiam judicandi, universis & singulis in jure suo existimus debitores, regis prudentiæ salutaribus exhortationibus invitati, & volentes regia via prudenter incedere, nec declinare ad dexteram vel sinistram, nuper in præsentia nostra nuntiis venerabilis fratris nostri Archiepiscopi & dilectis filiis . . . & . . . monachis Cantuarien. constitutis, in factò capellæ de Lamhee de communi consilio fratrum nostrorum processimus sicut nobis fuit divinitus revelatum, & literæ quas eidem Archiepiscopo & venerabilibus fratribus nostris Cantuarien. Ecclesiæ Suffraganeis destinamus, continent evidentè. Ut autem mandatum nostrum, quod de pura conscientia Deo teste processit, liberius valeat

adimpleri, serenitatem regiam prece qua possumus & affectione rogamus quatenus his quæ à nobis facta sunt benignius annuendo, non sit impedimento quòd minus debeant juxta rescripti nostri seriem effectui mancipari; quin potius, si quis se (quod vix credimus) duceret opponendum, ejus audacia quæsumus potestate tibi tradita reprimitur; ut mandata sedis apostolicæ debitam obtineant firmitatem. Alioquin, quantumcunque magnificentiam tuam in Domino diligamus, & sibi velimus, quantum cum Deo possumus, honestè deferre, contemptum apostolicæ sedis & nostrum non poterimus æquanimiter sustinere; sed eos qui se opponere nostris in hac parte jussionibus attentabunt, pœna magistra docere curabimus quàm durum sit contra stimulum calcitrare. Provideat igitur regia celsitudo quòd ita preces apostolicas in hac parte diligenter exaudiat, sicut petitiones suas apud sedem apostolicam cupit etiam in majoribus exaudiri; procurans attentius ut præfatos monachos, quos sub protectione nostra suscepimus, ne minores à majoribus opprimantur, dextera suæ potentis protegat & defendat; ut apud eum æternæ retributionis præmia consequatur qui juxta propheticum testimonium liberavit pauperem à potente, & inopem cui non erat adjutor. Datum Laterani XII. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

*PRIORI ET CONVENTUI
Cantuarien.*

Nisi viri prudentes essetis, & sacramentum haberetis scientiam scripturarum, pro tribulationibus quæ invenerunt vos nimis, egeretis forsitan consolationibus aliorum. Sed imitatores Apostolorum effecti, ut relictis omnibus liberius sequi possitis Christum pauperem & egenum, amissionem temporalium, quæ debetis cum Apostolo reputare tanquam stercora, ut Christum lucrifacere valeatis, excipere cum gaudio vos oportet, nec pro ea, sicut ceteri hominum, contristari, ne per immoderatum dolorem, postquam manum misistis ad fortia, retro aspicere comprobemini, & manna contempto ad Ægypti pepones & allia & ollas carniû aspirare. Cum itaque non sint condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam quæ

*Epist. 436.
Consolatoria
epistola in cau-
sa Archiepiscopi
& monachorum.
Vide infra epist.
584.*